

cap. 68 Quod beatus Petrus apostolus fuit imperator temporalis.

Christus beato Petro contulit imperia tam spirituale quam temporale, insuper quod omnes imperatores et reges et quecumque alia persona ipsi pape esset subiecta. Quia enim fecit eum pastorem, per consequens fecit eum superiorem, quia esse^{a)} subiectum est materia absolutionis; ideo sicut esse superiorem est de iure divino ita et esse subditum pape est similiter de iure divino. Cum ergo papa in his que sunt de iure divino dispensare non possit, sequitur quod papa non posset dispensare cum imperatore aut rege Franchorum, quod sibi subditi non essent¹⁾. Unde dicit Crisostomus, Super actus apostolorum²⁾: 'Petrus a Christo filio dei super omnia que filii sunt potestatem accepit, non ut Moyses in una gente sed in universo orbe.' Et Bonifatius VIII in extravagante, que incipit *Unam sanctam*³⁾, probat multis rationibus, quod potestas temporalis est subiecta spirituali et concludit, quod omni viventi subesse pape in temporalibus est de necessitate^{b)} salutis. Item in epistola ad regem Franchorum scribit idem Bonifatius dicens⁴⁾: 'Filii Philipe, Franchorum rex, te scire volumus quod in temporalibus et spiritualibus nobis subes; et contrarium asserentes hereticos reputamus.' Et Thomas in Libro de regimine principum probat pluribus rationibus, quod papa est dominus spiritualis et temporalis, et concludit⁵⁾, quod summo sacerdoti beati Petri successori scilicet romano pontifici omnes reges oportet esse subiectos sicut ipsi domino Yesu Christo. Et Cyrillus in Libro thesaurorum⁶⁾ dicit, quod summo pontifici omnes iure divino capud inclinant et primates mundi tamquam ipsi domino^{c)} Yesu Christo obediunt. Ergo clare apparet, quod omnes imperatores et reges mundi sunt domino pape subiecti etiam in temporalibus et quod papa non posset dispensare, quin sibi essent subditi. ...

cap. 102 De controversia pape et imperatoris¹⁾.

Tempore quo beatus Eustorgius mediolanensem regebat ecclesiam, Constantinus imperator dedit ecclesie totum imperium occidentis, ex quo aliqui arguunt, quod imperator est superior quam papa et aducunt multa argumenta et primo sic: quicquid superioritatis habet papa in spiritualibus, habet ab imperio, sicut²⁾ habetur in decretis di. lxxxvi.^{a)}³⁾, quod Constantinus imperator in primo privilegio dato ecclesie statuit, quod omnes episcopi et sacerdotes habeant in suum capud romanum pontificem sicut iudices regem. Preterea: in eodem decreto habetur, quod Constantinus imperator concessit pape potestatem et dignitatem imperialem et insignia imperialia; ergo papa est inferior imperatore, quia ab imperatore habet dominium temporale et spirituale. Preterea: dans tributum inferior est^{b)} illo qui recipit; sed papa dat tributum imperatori, ut dicitur in decreto xi. q. prima⁴⁾; ergo imperator est

cap. 68 a) oē W b) necesse B c) om. W

¹⁾ Vgl. GA cap. 185. ²⁾ Migne PG 60, 233; vgl. Thomas von Aquin, Contra err. Graec. 2, 33 (ed. Verardo, Opusc. theol. 1, 1954) S. 341. ³⁾ Extrav. Comm. 1. 8. 1. ⁴⁾ S. o. Ann. 161. ⁵⁾ De reg. pr. 1, 14 S. 18. ⁶⁾ Vgl. Thomas von Aquin, Contra err. Graec. 2, 35 S. 343.

cap. 102 a) lxvi BW b) est inferior tr. W

¹⁾ Zu dem ganzen Kapitel vgl. CM cap. 345 und 570. ²⁾ sicut — pontificis (nach Ann. 10) vgl. Johannes Regina von Neapel, Quaestio 39 S. 331, Arg. I—IX (pro parte negativa). ³⁾ D. 96 c. 14. ⁴⁾ C. 11 q. 1 c. 27.